

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

ab illis, & Anti-Christo, Papæ & Mahometo reliquit illos.

2. *Quando homini in calamitatibus versanti solatium suum subtrahit*, hoc modo apparenter reliquit piûm Jobum, ut ipse conqueritur: Mutatus mihi es in crudellem, & dura manu tua ostendis, te esse inimicum meum, Job. 30. v. 21. verè verò Judam, qui & solatio orbis desperavit, Matth. 27. v. 5.

3. *Quando benedictionem suam ab homine ejusq; actionibus tollit*. Hoc modo recessit à Saule, qui deindè nihil amplius feliciter gessit, 1. Sam. 16. v. 14.

Quia verò per peccata & impiam vitam Deus quasi à nobis propellitur, peccata quippè dividunt nos & Deum nostrum, Esa. 59. v. 2. Spiritus Sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, Sap. 1. v. 5. desistamus à malo, & discamus benefacere, Psal. 34. v. 15. Ne à Deo deseramur, & temporale atque æternum vè incurramus, quod improperatur talibus. Osea. 9. vers. 12.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
I. *Ex dulcissima Christi conversatione*, qua prosequitur amantes se.

Quamprimum discipuli hi Emauntici in via de Magistro suo, ex sincera caritate invicem colloquuntur, appropinquans comitem se illis adjungit, & iter facit cum illis. Idem hodiè tenus adhuc facit, estque cum fidelibus suis, non modo præsentia generali, de qua Paulus: Non longe est ab uno quoque nostrum; in ipso

enim vivimus, movemur, & sumus, Act. 17. v. 27. sed & præsentia gratiæ, ubi appropinquat ad nos, verbo & Sacramentis, quibus nos alit, roborat, & recreat. In specie verò libenter est cum mæstis & contritis corde, sicut hi duo discipuli, quibus se adfociat, pleni tristitiæ & mæroris fuerunt.

Nam juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & contritos spiritu salvabit, Psal. 34. vers. 19. Hoc præfiguratum est in hospio Bethaniæ, nam Luc. 10. vers. 38. legimus quod Christus libenter Bethaniæ apud Lazarum, Martham & Mariam diverterit. Bethania verò domum tristitiæ notat, ubi multum tristitiæ spiritus est, ibi Christus solatio suo præsens operatur, 2. Cor. 7. v. 10. Bethaniæ sorores plenæ dolorum sunt, Marthæ plenæ curarum, & Mariæ plenæ amaritudinis. Tamen & præsens est frater Lazarus, qui auxilium suum in Deo invenit. Christus igitur gaudio & solatio replet. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, Esa. 66. v. 13.

Quando igitur gratia & solatio suo nobis appropinquat, cum gaudio excipiamus eum, & præsentiam ejus exosculemur, præsertim, quia non solus venit, sed & Pater, qui cum eo unum est, Joh. 10. v. 30. & Spiritus sanctus, qui ab eo ab æterno procedit, cum eo venit, & ita SS. Trinitas nobiscum conversatur, quam & sequuntur S. Angeli, qui castra metantur in circuitu timentium Dominum, Psal. 34. v. 8. quæ tanta gloria est, quam verbis exprimere nunquam possumus.

II. Ex